www.e-rara.ch

# Historia Ptolemaeorum Aegypti regum, ad fidem numismatum accommodata /

**Foy-Vaillant, Jean**

**Amstelaedami, 1701**

**Münzkabinett Winterthur**

Persistent Link: https://doi.org/10.3931/e-rara-146235

Ptolemaeus VI.

**www.e-rara.ch**
Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

LAGIDAR.
an. 146.

PTOLEMÆVS PHILOMETOR,
REX ÆGYPTI. VI.



*Ap. D. Foy Vaillant D.M.*
*ex num. arg. tetradr.*

Lagid. 146. Philom. 1. 2. Euſeb. Chron. PTolemæus VI. Ptolemæi Epiphanis & Cleopatræ filius major ſex annos natus, mortuo patre Ægypti Regnum obtinuit ſub matris tutela, in gratum cujus officium PHILOMETOR id eſt *amans matrem*, cognominari voluit.

Lagid. 147. Philom. 3. 2 Macc. 3. Seleucus Syriæ Rex conſiliorum patris Antiochi conſcius, quum videret illum neque Cœleſyriam, quam quaſi eſcam Epiphani dederat ut Ægyptum occupare poſſet, non obtinuiſſe ſed tantùm mediam vectigalium partem retinuiſſe, id regnante puero facilè fore ſperavit, ideo Demetrium filium impuberem pro obſide Romam miſit, ut Antiochum fratrem retraheret cujus opera Cœleſyriam recuperare poſſet.

Lagid. 148. Philom. 4. In pacis & fœderis formula P. Romani cum Antiocho Magno eſſet expreſſum ut obſides pro triennio mutarentur, excepto Antiocho ejus filio minore, Seleucus quum permutandi tempus acceſſit, à Romanis obtinuit, ut frater Antiochus in Syriam rediret, miſſo in ejus locum Demetrio filio; ſed Antiochus vix Athenas pervenit, quin nuntium de Seleuci morte accePolyb. ibid. perit. Alii Heliodoro qui Syriæ Regnum affectabat, adhærebant, alii Ptolemæo favebant; ſed Antiochus Eumenis & Attali auxiliis Regnum fratris Hier. in Dan. occupavit. Ipſi primùm à Ptolemæi fautoribus non datus fuit honos Regius, ſed ille poſtea ſimulatione clementiæ eum obtinuit.

Lagid. 149. Philom. 5. Id. ibid. Cleopatra Antiochi M. filia, Ptolemæi Epiphanis uxor & Ptolemæi Philometoris mater, magno Ægyptiorum deſiderio & ætate florente deceſſit, in



in ejus locum tutores Regis Eulaius Eunuchus & Lenæus ab Alexandrinis nominantur. LAGIDAR. an. 150.

Ptolemæi Tutores ab Antiocho Cœleſyriam ut fraude per patrem occupatam repetere audebant; Antiochus verò Ægypti procurationem tutorio ſibi jure, propinquitatis nomine vindicabat; erat autem frater Cleopatræ Ptolemæi matris & ideo avunculus, hoc, inter avunculum & nepotem bello originem præbuit. Lagid. 150. Philom. 6. Id. ibid.

Quinque Legatos Senatus in Macedoniam ad Perſæum Regem miſit & Alexandriam etiam ad Ptolemæum renovandæ amicitiæ cauſa proficiſci juſſos. Hi erant C. Valerius, Cn. Lutatius Cerco, Q. Bœbius Sulca, M. Cornelius Mammula, & C. Cæcilius Denter. Liv. Dec. 5. lib. 2.

Romam redierunt ad ſocios Reges Legati à Senatu miſſi, qui renuntiarent Eumenem in Aſia, Antiochum in Syria & Ptolemæum in Ægypto ſeſe conveniſſe. Omnes ſollicitos Legationibus Perſei, ſed egregiè in fide permanere, pollicitóſque omnia quæ P. Romanus imperaſſet, præſtaturos. Lagid. 151. Philom. 7.

Antiochus ubi vidit manifeſtò jam Ptolemæum ad bellum pro Cœleſyria ſe parare, Meleagrum miſit Romam Legatum qui mandatu ſuo Patribus Conſcriptis nuntiaret, & teſtans fœdera diceret, præter omne jus à Ptolemæo ſe invadi, quum ille quidem de Ægypti Regno, & Cœleſyriæ ambigeret, Ptolemæi pueritiam & Tutorum inertiam ſpernens: cauſam belli ſe habiturum exiſtimabat: geſturúmque illud ſine ullo impedimento, occupatis Romanis in Macedonico: omnia tamen & per ſuos Legatos Senatui & ipſe Legatis eorum eximiè eſt. Polyb. Leg. 71. Liv. Dec. 5. lib. 2.

Ptolemæus verò propter ætatem alieni etiam tum arbitrii erat. Tutores enim & bellum adverſus Antiochum parabant, quo vindicarent Cœleſyriam & Romanis omnia pollicebantur ad Macedonicum. Id. ibid.

Quum jam eſſet inchoatum à Regibus Ptolemæo & Antiocho pro Cœleſyria bellum, Romam venerunt Legati, Antiochi quidem, Meleager, Soſiphanes & Heraclides: Ptolemæi verò Timotheus, & Damon. Erat Antiochus in Cœleſyria & Phœnice Dominus, bello quæſitorum juſtiſſimam atque honeſtiſſimam poſſeſſionem eſſe exiſtimabat. Ptolemæus qui putaret priorem Antiochum contra jus & fas, pupillari patris ſui ætati inſidiatum, urbes ipſi eripuiſſe quas in Cœleſyria habebat, cedere ei, locis illis non poterat. Lagid. 152. Philom. 8. Polyb. leg. 72.

Meleager Senatum teſtabatur, Ptolemæum contra omne jus Antiochum laceſſere. Timotheus verò ad renovandam amicitiam venerat, ad imponendum finem bello contra Perſeum: præcipuè autem ad obſervandos Meleagri cum Romanis congreſſus. Sed de pace quidem M. Æmylii (qui tutor ipſius patris fuerat) conſilium ſecutus, facere verba non eſt auſus. Amicitiam verò ubi renovaſſet, & congruentia poſtulatis ſuis reſponſa accepiſſet, Alexandriam eſt reverſus. Meleagro Senatus reſpondit Quinto Marcio in Græcia tunc Legato ſe permiſſurum, ut de iis rebus ad Ptolemæum ſcribat, ita ut eſſe è Republica P. Romani fidéque ſua viderit. Id. ibid.

Perſeo Macedoniæ Regi bellum hoc anno à Romanis denuntiatum eſt. Lagid. 153. Philom. 9.

Philometor legitimam regnandi nempe quatuordecim annorum ætatem adeptus, Rex eſt proclamatus, ſicut Ægypti Principibus moris erat & celebrata ejus Anacleteria. Reges Memphim aſcendebant, & ibi ſolio Regio decorari ſolebant qui Ægypti Regno gaudebant, ſacris initiabantur, ſatis Religioſè tunicati & Tauro quem Apim appellant, jugum portare fas fuit, & per vicum unum duci, ut periti exiſtimabant labore humanæ neceſſitatis, ne crudeliùs his qui ſub iis ſunt, abutantur. Deducitur autem Rex à Sacerdote Iſidis in locum qui nominatur ἄδυτον, & Sacramento adigitur neque diem, neque menſem intercalandum. Eutrop. lib. 4. Polyb. leg. 78.

Antiochus miſſo in Ægyptum Apollonio Mneſtei F. ad Philometoris Anacleteria, 2 Maccab. 22.

LAGIDAR. an. 153. cleteria, quum cognoviſſet illum à negotiis Regni alienum eſſe factum, propriis utilitatibus conſuluit, unde profectus Tyro venit Hieroſolyma, indéque in Phœniciam convertit exercitum.

Valeſ. exc. Polyb. 27. Ptolemæus Macer Dorymenis filius qui Cypri Præfecturam Philometore admodum puero acceperat, cogendæ quidem pecuniæ, nemini quicquam dabat, tametſi à Curatoribus ac diſpenſatoribus Regiæ pecuniæ ſæpiſſimè flagitaretur, gravitérque increparetur, quòd reditus Inſulæ penes ſe retineret. Sed poſtea quàm Rex adoleſcentiam attigit, collectam ſatis magnam pecuniæ vim Alexandriam miſit, adeo ut Ptolemæus & ceteri omnes Aulici priorem illius parſimoniam ac diligentiam probarint.

Lagid. 154. Philom. 10. Polyb. leg. 75. Quum fama allata eſſet Achæis, celebrata fuiſſe in honorem Ptolemæi Anacleteria, officii ſui eſſe exiſtimantes, ut ſuæ ob id quod geſtum erat, lætitiæ ſignificationem darent, Legatos decreverunt mittere, ad renovandam amicitiam quæ genti Achæorum erat cum Ægypti Regibus. Statim igitur Alcithus & Paſidas ſunt delecti.

2 Maccab. 5. & 10. Antiochus Tyri morabatur, quum Ptolemæus Cypri Præfectus à Rege Ptolemæo alienatus, ad ejus partes tranſiit & Inſulam ipſi tradidit; Antiochus autem Cypri cura Crateri commiſſa, Ptolemæum Cœleſyriæ & Phœniciæ Præfectum conſtituit, & in præcipuorum amicorum numerum illum admiſit.

Hier. in Daniel. cap. 11. Quum autem ſegniter agerent Ptolemæi Duces, & in Cœleſyriam ingredi cunctarentur, Antiochus navalem exercitum è Tyro ſolvere juſſit & Ægypti fines per terram ingreſſus eſt cum turba numeroſa, curribus, Elephantis, & equitibus. Ptolemæus qui multa populorum millia congregaverat, ei occurrit, & ad Peluſium commiſſa eſt pugna, in qua fuſis fugatíſque Ægyptiis, Valeſ. Diod. Excerpt. quum Antiochus ad internecionem delere omnes poſſet, equo circumvectus, occidi eos vetuit, ſed potiùs vivos comprehendi juſſit, Peluſióque potitus eſt.

Ptolemæi ignavia ibi obſervata eſt, ipſe enim adeo ab omni remotus periculo, tantíſque ſpatiis ab hoſte diviſus, nihilominùs Regno maximo atque opulento, ſine certamine ceſſit: quæ quidem animi penitùs effœminati natura & mollicies in Ptolemæo inſita fuiſſet, eſſet fortè ipſe accuſatione dignus. Quum verò ex iis rebus, quas poſtea geſſit, ſatis ſupérque apparuerit eum conſtantia atque induſtria in agendo nemini inferiorem fuiſſe, hujus ignaviæ cauſa ſpadonis Eulaii nutritioni tribuenda qui eum in deliciis ac muliebribus inſtitutis à puero quum habuiſſet, vim mentis ejus enervaverat.

Polyb. leg. 84. Hier. in Dan. Ptolemæus autem ſeu in pugna captus, ſeu ab Alexandrinis in exilium miſſus ob fugam, ad Antiochum venit, qui parcens puero & amicitiam cum eo ſimulans convivium fecit, aſcendítque Memphim, & ibi ex more Ægypti Regnum accipiens, puerique rebus ſe providere dicens, Ægyptum ſibi ſubjugare conatus eſt & abundantes atque uberrimas ingreſſus eſt urbes.

Lagid. 155. Philom. 11. Porphyr. Gr. Euſeb. Alexandrini poſtquam viderunt Antiochum Philometori diadema ademiſſe, ſibíque impoſuiſſe, Ptolemæum juniorem qui Evergetes cognominatus eſt, Regem renuntiarunt quum undecim annos regnaſſet Philometor, Comano & Cineæ ſumma rerum cum ipſo commiſſa.

Liv. Dec. 5. lib. 4. Antiochus ea occaſione libenter arrepta, exulis tutelam ſuſcepit, ejúſque reducendi ſpecioſo titulo, in Ægyptiaco ſuo bello defendendo, ad omnes Aſiæ & Græciæ civitates Legationibus recipiendis litteríſque eſt uſus.

Polyb. leg. 81. Comano & Cinea de ſumma rerum cum Evergete conſultantibus, viſum eſt faciendum, ut conſilium ex illuſtriſſimis quibuſque Ducibus conſcriberetur, de cujus ſententia omnia deinceps gererentur, ei conſilio ante omnia placuit, ut advenæ Græci qui forte ibi reperiebantur, Legati ad Antiochum proficiſcerentur, de pace cum eo acturi.

Id. ibid. Erant tunc eo loci Legationes duæ ab Achæorum gente; una ad renovandam

vandam cum Philometore amicitiam: quæ mandata fuerat Alcitho Xenophontis F. Ægienſi, & Paſiadæ: altera de Antagoniſtarum agone. Erat & miſſa ab Athenienſibus de donatione quædam Legatio, cujus princeps Demaratus. Item ſacræ Legationes ab iiſdem duæ: una de feſto Panathenæorum, cujus caput fuit Callias quinquertio: altera de myſteriis, quam obibat Cleoſtratus, qui ſuper eo ad Philometorem orationem habuit: Mileto aderant Eudemus & Iceſius: Clazomenis Apollonides & Apollonius: cum his legatos miſit Evergetes etiam Tlepolemum & Ptolemæum Rhetorem. Hi igitur adverſo flumine navigantes proceſſerunt. LAGIDAR. an. 156.

Antiochus Legatos quum ſuſcepiſſet benignè, primo die ad epulas magnificè ſtructas invitavit: poſtridie verò ſui conveniendi poteſtatem fecit & mandata juſſit expromere. Primi igitur omnium verba apud Regem fecerunt. Legati Achæorum; deinde Athenienſium, Demaratus: ſecundùm hos Eudemus Mileſius. Qui quum eodem tempore, eadémque de re omnes diſſererent, eveniebat, ut rationes quas ſinguli afferebant, per quam ſimimiles eſſent. Omnes enim Eulaii culpa ſuſceptum bellum dicere: dein cognationem atque ætatem Ptolemæi allegantes, Regis iram deprecari. Id. leg. 81.

Quum orationibus illorum eſſet aſſenſus Antiochus, atque ipſe etiam plura in eandem ſententiam loquutus eſſet, juſta ſua commemorare cœpit, magno ſtudio probare contendens, pertinere ad Syriæ Reges Cœleſyriæ poſſeſſionem. Principio dicere, ídque multis ſtudioſè confirmare Antigonum primum à quo Regnum Syriæ conditum, ea loca imperio ſuo tenuiſſe: proferre deinde in medium inſtrumenta conceſſionis poſt mortem Antigoni Seleuco à Macedonicis Regibus factæ: ſecundùm iſta, Antiochum patrem bello noviſſimo Cœleſyriam recepiſſe, multúmque eo jure niti: poſtremò negare verum eſſe de pactis quæ Legati Alexandrini facta dicebant fuiſſe inter Ptolemæum nuper mortuum & Antiochum hujus patrem: quibus pactis nomine dotis concedebatur Ptolemæo Cœleſyria, quando in uxorem duceret Cleopatram. Id. ibid.

In hanc ſententiam Antiochus quum multa protuliſſet, nec tantùm ſibi, ſed etiam omnibus qui præſentes erant, cauſam ſuam probaviſſet, Naucratim tunc quidem navibus petiit: atque eo etiam loci benignè appellatis tractatíſque civibus, in Græcos verò, qui ibi commorabantur, aureis ſingulis diviſis Alexandriam iter inſtituit, at Legatis pollicitus eſt daturum ſe iis reſponſum, poſtquam Ariſtides & Theris eſſent reverſi: velle enim ſe omnium conſiliorum ſuorum conſcios ac teſtes habere Græcos Legatos. Id. ibid.

Alexandriam interea Antiochus obſidione cinxit, Evergetes & Cleopatra ſoror Legatos Romam miſerunt ut opem Regno, Regibúſque amicis imperio ferrent: Alexandrini autem ſummis Antiochi viribus ſtrenuè reſiſtebant. Liv. Dec. 5. lib. 4.

Per eoſdem dies Rhodiorum Legatio, cujus erat princeps Pratio ad componendam pacem miſſa, Alexandriam portum tenuit: eadémque mox in caſtra ad Antiochum venit. Hi in colloquium Regis admiſſi, dum patriæ conjunctionem cum utroque Regno commemorant, & mutua iter ambos Reges neceſſitudinis jura, quæque ad utrumque ex pace confecta, reditura ſint commoda, longam orationem ſunt exorſi: at Rex dicentem Legatum interpellans; longiore oratione nihil opus eſſe ait, Regnum enim ad Ptolemæum majorem pertinere, cum iſto verò pacem dudùm ſe feciſſe, & amicum eſſe, atque adeo, inquit Antiochus, ſi ab exilio eum revocare cives voluerint per ſe licere. Polyb. leg. 84.

Quum Antiochus accepiſſet Jaſonem Hieroſolymam urbem armis invaſiſſe & urbem expugnare, ex vulgata de morte ſua fama, Alexandriam oppugnare deſiit, & antequam Hieroſolymam aſcenderet Legatos Romam miſit, & Philometorem Memphi reliquit, cui Regnum quæri ſuis viribus ſimulabat, omni Ægypto illi tradita, excepto Peluſio: exiſtimans bello inte- 2. Maccab. 5. Liv. Dec. 5. lib. 5.

LAGIDAR. an. 156. inteſtino cum fratre eum exitum fore, ut victor feſſus certamine, nequaquam par ſibi futurus eſſet; Peluſio idcirco validum reliquit præſidium, ut clauſtra Ægypti tenens, quum vellet rurſus exercitum induceret fratrémque victorem aggrederetur.

Lagid. 156. Philom. 12. Id. ibid. Philometor Memphi ab Antiocho relictus, ſuſpectum omnino illum prudenter habuit nec illius voluntatis ignarus ad fratrem juniorem de inienda inter ſe pace, qui cum eo erant libenter acceperunt. Soror plurimùm adjuvit, non modò conſilio, ſed etiam precibus. Itaque conſentientibus cunctis, pace facta, Alexandriam recipitur regnaréque ambo cœperunt per ſex annos, ne multitudine quidem adverſante: quæ in bello non per obſidionem modò, ſed etiam poſtquam à mœnibus abſceſſum eſt, quia nihil ex Ægypto ſubvehebatur, attenuata inopia erat, & Alexandrini cum Philometoris duodecimo, Evergetis primum annum connumerarunt.

Porphyr. in Græc. Euſebian. Liv. Dec. 5. lib. 5. His quum lætari Antiochum conveniens fuiſſet, ſi reducendi ejus cauſa exercitum in Ægyptum induxiſſet, quo ſpecioſo titulo ad omnes Aſiæ & Græciæ civitates legationibus recipiendis, litteriſque dimittendis uſus erat: adeò eſt offenſus, ut multò acriùs infeſtiúſque adverſus duos, quàm antè adverſus unum pararet bellum. Cyprum ex templo claſſem miſit quæ Ægypti Regum Duces prælio vicit.

Polyb. leg. 91. Liv. Dec. 5. lib. 4. Legati ab Ptolemæo juniore & Cleopatra Regibus miſſi, in Senatum vocati ſunt. Sordidati, barba & capillo promiſſo, cum ramis olei ingreſſi curiam, procubuerunt: & oratio quàm habitus fuit miſerabilior, quærentes quòd Antiochus per honeſtam ſpeciem majoris Ptolemæi reducendi in Regnum, bellum cum minore fratre ejus, qui dùm Alexandriam tenebat, gereret, & ad Peluſium navali prælio victor, tumultuario opere, ponte per Nilum facto, tranſgreſſus cum exercitu, obſidione ipſam Alexandriam cingebat, nec procul abeſſe quin potiretur Regno opulentiſſimo, videbatur.

Orabant Senatum, ut opem Regno, Regibúſque amicis ferrent. Ea merita P. Romani in Antiochum, qui obſes Romæ fuerat, eam apud omnes Reges gentéſque autoritatem eſſe, ut ſi Legatos miſiſſent, qui denuntiarent non placere Senatui, ſociis Regibus bellum fieri, extemplo ille abſceſſurus à mœnibus Alexandriæ, abducturúſque exercitum in Syriam, eſſet. Quod ſi cunctentur facere, brevi extorres Regno Ptolemæum & Cleopatram Romam venturos cum pudore quodam P. Romani, quòd nullam opem in ultimo diſcrimine fortunarum tuliſſent.

Id. ibid. Moti Patres precibus Alexandrinorum, extemplo L. Popilium Lænatem virum Conſularem & C. Decimium, & C. Hoſtilium, Legatos ad finiendum inter Reges bellum miſerunt. Priùs Antiochum adire juſſi & nunciare ni obſiſtatur bello, per utrum ſtetiſſet, eum non pro amico nec pro ſocio habituros eſſe. Hi intra triduum cum Legatis Alexandrinis profecti ſunt, & in Macedoniam tranſiere, nam in mandatis habebant non priùs in Ægyptum iter facere quàm belli Macedonici exitum pervidiſſent, quare Selymbriæ aliquandiù morati ſunt.

Polyb. leg. 89. Ptolemæi Reges ante exitum hiemis Eumenem & Dionyſodorum Legatos ad gentem Achæorum miſerunt, qui pedites mille, equites ducentos petebant: Ducem autem auxiliarium omnium copiarum Lycortam; equitum verò Polybium. Iidem ad Sicyonium Theodoridam ſcripſerant, rogantes ut mercenarios milites conduceret ad mille: porrò viri illi ex rebus geſtis plurimis Ægypti Regibus probè noti erant. Poſt adventum verò Legatorum, quo tempore Achæorum conventus Corinthi agitabatur. Quum illi veterem amicitiam, quam multis argumentis invicem fuerant teſtati renovaſſent, & afflictum Regum ſtatum ob oculos poſuiſſent, opem poſcentes: erat quidem parata multitudo non parte aliqua copiarum, ſed omnibus

bus

bus viribu
poteſtate
Aſt hu
bant enim
tum verò
operam na
tis viribus
hibernante
pore adfui
Heic L
multa affe
factum ab
miſſúſque
xilio ſibi c
in Maced
qui id ag
bus pericu
ne occaſio
imprimis v
rùm mul
lam fregi
concedere
Paulò
giſtratus
poſtquam
nullo R
tur, qu
deinde
pter eo
tamen
triginta
Mov
Regibu
leges op
poneren
dum.
ter Rep
Qu
ſed in
Repa
den
rit c
que
erat
ut n
nar
ipſ
gu
ter
viſ
I
ſua
aſt

bus viribus, ſi opus eſſet, Regibus (ambo namque & diademate & Regia poteſtate erant prædíti,) ire ſuppetias. LAGIDAR. an. 156.

Aſt huic ſententiæ adverſari Callicrates & qui cum eo ſentiebant, dicebant enim, quum in univerſum alienis negotiis eſſe abſtinendum Achæis; tum verò potiſſimum tempore, quando ab omni alia cura liberi, Romanis operam navare debeant: nam tunc quum maximè opinio hominum erat totis viribus breve certatum iri, ut pote Q. Marcio Philippo in Macedonia hibernante erántque omnes ſolliciti ne Romanis defuiſſe: aut parùm in tempore adfuiſſe viderentur. Id. ibid.

Heic Lycortas & Polybius ſuſcepto ſermone, dicere ſunt orſi, tùm alia multa afferentes in medium, tùm etiam quòd ſuperiore anno quum eſſet factum ab Achæis decretum de ferenda Romanis ope totis viribus gentis, miſſúſque in eam rem Polybius. Marcius laudata eorum voluntate, auxilio ſibi opus eſſe negarat, poſtquam ſemel ſuperato ſaltu tranſgreſſus eſſet in Macedoniam, ſine cauſa; igitur Romanorum utilitatem prætexi ab iis, qui id agerent, ne auxilia Regibus mittantur. Hortari ergo Achæos quibus periculi magnitudinem, in quo Regnum illud verſabatur, oſtendebant, ne occaſionem prætermitterent; ſed pactorum & acceptorum beneficiorum, imprimis verò jusjurandi memores, ſocietatis leges ſervarent. Quum iterùm multitudo acclamaſſet opem ferendam, Callicrates deliberationem illam fregit, metu Magiſtratibus injecto, quaſi leges poteſtatem ipſis non concederent, in ejus conventu de auxiliis deliberandi. Id. ibid.

Paulò poſt verò concilio in urbem Sicyoniorum convocato, cui non Magiſtratus ſolummodò intererant, verùm etiam omnes triginta annis majores: poſtquam multi ſermones habiti eſſent, & Polybius imprimis confirmaſſet, nullo Romanos auxilio habere opus, quod non temerè dici ab illo videbatur, quia ſuperiore anno cum Marcio Philippo Coſ. in Macedonia fuerat: deinde adjeciſſet, ſi vel maximè auxiliis Achæorum indigeant Romani, propter equites ducentos, pedites mille, quos Alexandriam miſerint, nihilo tamen difficilius futurum auxilia eis ſubmittere: nullo enim ſuo incommodo triginta, vel etiam quadraginta millia ducturos. Id. ibid.

Movit Polybii oratio multitudinis animos, eóque omnes inclinabant, ut Regibus ſubſidia mitterentur. Poſtridiè verò ejus diei, quo die ſecundùm leges oportebat, ut qui ſententias dixerant, decreta ad diſceptandum proponerent. Lycortas hujuſmodi decretum propoſuit auxilium eſſe mittendum. Callicrates verò hujuſmodi Legatos oportere mitti ad pacem inter Reges & Antiochum faciendam. Id. ibid.

Quum quidem iterùm diſceptari cœpiſſet, acri contentione res acta, ſed in qua longè vincebat Lycortas: comparatione ſi quidem inter hæc Regna inſtituta, magnum diſcrimen inveniebatur. Nam ad Syriacum quidem Antiochi quod attinet: Rex ullum alicujus neceſſitudinis, quæ illi fuerit cum Græcis hominibus, argumentum afferri poterat, de prioribus loquebatur, nam ejus qui tunc Regnabat, magnus & liberalis animus Græcis erat notus: at Regni Ptolemaïci tot & tanta in Achæos merita extiterant, ut nihil ſuprà. Hoc verò argumentum Lycortas, ita ut par erat, verbis ornans, magnificam Regum illorum ſpeciem hominum animis inſinuabat: ipſa quippe comparatio res eſſe genere toto diverſas arguebat, ut enim Regum Alexandriæ beneficia percenſere erat difficile: ita nullum omnino poterat inveniri ab Antiochi Regno profectum, quo res Achæorum adjuviſſet.

Perſtiterunt aliquandiù Andronidas & Callicrates in ſuſcepta ſententia ſuadenda, de pace inter Reges facienda: ſed quum ipſis nemo adjungeret, aſtu adverſarios aggrediuntur. Inductus eſt enim in theatrum recta ab itinere Id. leg. 101.

LAGIDAR. an. 156. nere; tabellarius literas Q. Marcii afferens: quibus Achæos hortabatur, ut Romanorum voluntatem ſecuti, conciliare invicem Reges conarentur. Nam & Senatus Legationem miſerat, cujus princeps erat Nemeſius * ad pacificandum inter Reges. Hoc verò nihil aliud erat, niſi prætextus quidam. Totus enim quum eos conciliare non potuiſſet, re penitus infectâ Romam redierat.

* Forſan error nominis.

Tum Polybius reſpectu Marcii contradicere epiſtolæ nolens, publicarum rerum cura & adminiſtratione ſe abdicavit: ita evenit ut auxiliorum quæ petebant, ſpe Reges exciderent. Decretum igitur ab Achæis factum eſt, de mittendis Legatis qui de pace agerent. Ea Legatio mandata eſt Archoni Ægiratæ, Arceſilao & Ariſtoni Megapolitanis. Legati verò Ptolemæi, ſpe auxiliorum omiſſa, epiſtolarum Regum, quam paratam habebant, Magiſtratibus tradiderunt; quibus petebant ab Achæis, ut ad bellum quod ſuſtinebant, Lycortam & Polybium ſibi mitterent.

Liv. Dec. 5. lib. 4. Antiochus primo vere cum exercitu Ægyptum repetens in Cœleſyriam proceſſit. Circa Rhinocolura Ptolemæi Legatis agentibus gratias, quòd per eum Regnum patrium recepiſſet, petentibúſque ut ſuum munus tueretur, & diceret potiùs quid fieri vellet, quàm hoſtis ex ſocio factus, vi atque armis ageret, reſpondit, non aliter neque claſſem revocaturum, neque exercitum reducturum, niſi ſibi & tota Cypro & Peluſio agróque qui circa Peluſiacum oſtium Nili eſſet, cederet: diemque præſtitit intra quem de conditionibus peractis reſponſum acciperet.

Hieron. in Dan. c. 11. Interea navigans ab oſtio Nili, quod eſt Peluſiacum per deſerta Arabiæ, populi ſe dediderunt, Idumæos & Moabitas & Ammonitas qui ex latere Judææ ſunt, non tetigit, ne occupatus alio prælio, Ptolemæum redderet fortiorem, ad Memphim uſque proceſſit Antiochus; Ægyptiis ſe partim metu, partim voluntate dedentibus

Liv. Dec. 5. lib. 5. Quum debellatum fuiſſe Perſeum pridie nonas Septembris nuntius Delum perveniſſet: Caius Popilius Romanorum Legatus qui ibi aderat, ad ſuſceptam Legationem peragendam navigare Ægyptum perrexit, ut priùs occurrere poſſet, quam ad Alexandriæ mœnia Antiochus accederet.

Polyb. leg. 92. & Liv. ibid. Poſtquam dies data induciis ab Antiocho præteriit, ille ad urbem Alexandriam modicis itineribus deſcendit: ad Eleuſinem, qui pagus quatuor millia Alexandria abeſt, tranſgreſſo flumen Legati Romani occurrerunt, quos quum advenientes ſalutaſſet, dextrámque Popilio porrigeret, (coluerat autem illum inter ceteros quum Romæ obſes eſſet,) tabellas ei Popilius ſcriptum habentes tradit, atque omnium primum id legere jubet. Quibus perlectis, quum ſe conſideraturum adhibitis amicis quid faciendum ſibi eſſet, dixiſſet. Popilius pro cetera aſperitate animi, erat fortè illi in manibus pro geſtamine vitis, hac ille vite circumſcripſit Antiochum, ac priuſquam hoc circulo excedas, redde reſponſum Senatui, quod referam. Obſtupefactus iſto adeò inſolito atque violento imperio, ubi parumper hæſitaſſet. Faciam, ait, quidquid P. Romanus cenſet. Tum demum Popilius & qui cum eo erant Antiochi dextram omnes prehendere & comiter ipſum ſalutare, tanquam ſocium atque amicum.

Polyb. ibid. Itaque paucorum dierum, ac numero certo definitorum ſpatio conceſſo, Antiochus copias in Syriam ſuas, gravatè ille quidem ac gemens, ſed tamen abduxit, in præſentia temporiſ cedendum ratus; niſi enim Perſeus in Macedonia fuiſſet debellatus, nunquam eſſet adductus Antiochus ut imperata faceret: porrò ab hoc tempore Cœleſyria & Phœnicia Regibus ſine controverſia remanſerunt.

Polyb. excer. pag. 139. Popilius rebus Alexandriæ compoſitis & ad concordiam Reges hortatus, inter quos vix dum convenerat, ut Polyaratum Rhodium Romam mitterent

rent, ju
que eo
Inſula d
omnino
motis,
ſet. Ho
ti, aden
Poſt F
ratam R
reverſitus
dum pot
& Deme
ſteris e
Ægyp
menium
Miſſum e
dulo erat
nem ejus
Popliu
tas eſſe,
Poſtea
gati, reſ
ſet, viſa
norum j
ſunt, a
fuiſſe.
Ptole
eos S.
re: pe
amiſſu
Reſ
Legat
mæis C
opere S
per præ
inſtituto
Antio
deinceta
bitit,
tiapure
Pera
ad inſp
ut nul
fabales
deprehe
cerent.
Ant
amico
dum
ſe di
Q
bis n
annu

rent, juſſit. Quibus rebus hoc modo peractis mox Cyprum navigat, ídque eo fine & conſilio, ut quantocyus Antiochi copias quæ ibi erant, ex Inſula dimitteret. Ibi quum devictos Ptolemæi Duces inveniſſet, atque omnino res Cypri male poſitas loco adveniens offendiſſet; caſtris confeſtim motis, in propinquo tantiſper conſedit donec in Syriam is exercitus abiiſſet. Hoc pacto Romani Regnum Ægypti haud dubiè Antiocho jam habenti, ademptum Ptolemæo conſervarunt. LAGIDAR. an. 156. Polyb. excer. pag. 139.

Poſt Popilii ex Alexandria diſceſſum, quum ipſe Philometori ut Polyaratum Romam mitteret, mandaſſet, Rex & Polyaratum & ejus patriam reveritus, Romam quidem eum mittere handquaquam decrevit, ſed Rhodum potiùs, quòd & ipſe Polyaratus poſtulabat. Igitur navigio impoſitum & Demetrii cujuſdam ex amicis cuſtodiæ traditum, Rhodum deſtinavit, litteris etiam ad Rhodios de illius tranſvectione datis. Polyb. ibid.

Ægypti Reges bello liberati, ante omnia Legatum Romam miſerunt Numenium, ex numero amicorum, gratias pro acceptis beneficiis acturum. Miſſum etiam fecerunt Menalcidam, qui neceſſariis Regum temporibus ſedulò erat abuſus, ad rem familiarem augendam: quia C. Popilius miſſionem ejus ac liberationem loco beneficii à Regibus petierat. Polyb. leg. 95.

Popilius poſtquam Romam rediit, controverſias retulit inter Reges ſublatas eſſe, exercitúmque ex Ægypto in Syriam reductum. Liv. Dec. 5. lib. 5.

Poſtea, ipſorum Regum Legati in urbem venerunt; Antiochi quidem Legati, referentes omni victoria potiorem pacem Regi, quæ Senatui placuiſſet, viſam, eúmque haud ſecùs quàm deorum imperio, Legatorum Romanorum juſſis paruiſſe. Gratulati deinde eorum contra Perſeum victoriam ſunt, ad quam ſumma ope, ſi quid imperatum foret, adfuturum Regem fuiſſe. Lagid. 157. Philom. 13.

Ptolemæi Legati communi Regis & Cleopatræ gratias egerunt. Plus eos S. P. Q. R. quàm parentibus ſuis, pluſquam Diis immortalibus debere: per quos obſidione miſerrima liberati eſſent, Regnum patrium, propè amiſſum, recepiſſent. Id. ibid.

Reſponſum ab Senatu eſt, Antiochum rectè atque ordine feciſſe, quod Legatis paruiſſet, gratúmque id eſſe S. P. Q. R. Regibus Ægypti Ptolemæis Cleopatræque, ſi quid per ſe boni commodíque eveniſſet, id magno opere Senatum lætari, daturúmque operam, ut Regni ſui maximum ſemper præſidium poſitum eſſe in fide P. Romani ducant. Munera Legatis ex inſtituto mittenda curaret C. Papirio Prætori mandatum. Id. ibid.

Antiochus quum Ludos ab Æmilio Paulo qui Perſeum Macedoniæ Regem devicerat editos fuiſſe, hoc anno Antiochiæ ad Daphnem celeberrimos exhibuit, ad quorum epula ſternebantur triclinia cum ornamentis maximi pretii, quorum partem in Ægypto ex Philometore Rege ille defraudaverat. Lagid. 158. Philom. 14. Polyb. leg.

Peracto demum ludicro, Legatus advenit ad Antiochum Tib. Gracchus, ad inſpiciendas res Syriæ à Senatu miſſus, quem ea humanitate Rex excepit, ut nullatenus Tiberius ſuſpecta Antiochi conſilia habuerit, nullum in eo ſubalienati & offenſi ob ea, quæ in Ægypto acciderunt, animi ſignum deprehenderit, ſed etiam omnibus ſe opponeret, qui ejuſmodi aliquid dicerent. Diod. excerp. pag. 323.

Antiochus in Perſidem profecturus commiſerat erum adminiſtrationem Lyſiæ amico probatæ fidei, & juſſerat ut Antiochum filium diligenter educaret, ſed dum ille à Ptolemæorum Provinciis ſe removet, ipſi quaſi de illo ſecuri inter ſe diffidere cœperunt. Lagid. 159. Philom. 15.

Quum autem ex profectione rediens Antiochus in Perſidis oppido Tabis mortuus eſſet, Philippus ejus collactaneus, cui diadema, ſtolam, & annulum, ut filio redderet, corpus illius in Syriam aſportavit, ſed quum Lagid. 160. Philom. 16.

au-

LAGIDAR. an. 160. audivit Lyſiam Antiochum puerum conſtituiſſe, ad Ptolemæum Philometorem contra eum copias comparaturus confugit, ſed accepit Ptolemæos fratres inter ſe diſſidere, & ad Antiochi patris exercitum quem in Perſide & Media reliquerat, accerſendum profectus eſt.

Lagid. 161. Philom. 17. Polyb. leg. 107. Bellum jam apertum inter fratres Ptolemæos novere Romani nam quum Cn. Octavium, Spurium Lucretium, & L. Aurelium Antiochiam miſiſſent ad Regnum Syriæ adminiſtrandum Rex voluntate Senatus quippè neminem fore impedimento Rege puero & Principibus Aulæ benè agi ſecum exiſtimantibus, ſi Demetrio Regnum non traderet: ad hos verò Legatos poſtea miſſæ ſunt literæ quibus jubebantur Reges Alexandriæ omni ſtudio invicem conciliare: ſed Legatio in Ægyptum pervenire nequit, nam Octavius in Syria occiſus eſt.

Lagid. 162. Philom. 18. Porphyr. in excerp. Euſeb. Val. Max. lib. 5. c. 1. Diod. excerp. pag. 322. Victor autem Ptolemæus junior, quum ſex annos regnaſſet cum Ptolemæo majore fratre, illi Regnum abſtulit. Sic verò ſpoliatus Regno, petendi auxilii gratia cum paucis admodum ſervis, ſqualore obſitus Romam venit, agnitus eſt à Demetrio Regis Syriæ filio, qui inſperato caſu commotus, magnificentiæ ſuæ ac planè regii animi, illuſtre ſpecimen edidit. Statim enim parata veſte Regia cum diademate, & equo aureis phaleris ornato, ſtipatus ſuis famulis, Ptolemæo obviam proceſſit, eíque vigeſimo ſexto ab urbe lapide occurrit. Quem poſtquam comiter ſalutavit, hortari cœpit ut ornatus regiis inſignibus, eo quo par erat comitatu Romam ingredi vellet, ne fortè deſpectui haberetur. Sed Ptolemæus prolixam quidem in ſe Demetrii voluntatem multùm laudavit; ceterùm tantùm abfuit, ut quidquam eorum quæ ſibi offerebantur, acciperet, quin potiùs Demetrium rogavit ut in aliquo ex perviis oppidis unà cum Archia ſubſiſteret.

Val. Max. lib. 5. c. 1. Philometor Romam ingreſſus in hoſpitium Alexandrini pictoris ſe contulit. Id poſtquam Senatui relatum eſt, accerſito juvene, quàm potuit accurata excuſatione uſus eſt, quod nec Quæſtorem illi more majorum obviam miſiſſet, nec publico hoſpitio eum excepiſſet: eáque non ſua negligentia, ſed ipſius ſubito & clandeſtimo adventu facta dixit: & illum è Curia ſubitò ad publicos penates deduxit, hortatúſque eſt, ut depoſitis ſordibus adeundi ipſius diem peteret: quin etiam curæ habuit, uti munera ei per Quæſtorem quotidiè darentur, his gradibus officiorum jacentem ad regium faſtigium evexit: effecítque ut plus ſpei in auxilio P. Romani quam metus in ſua fortuna reponeret.

Polyb. leg. 113. Liv. lib. 6. epit. Canuleius & Quintus ex Senatus decreto miſſi ſunt qui Philometorem in Regnum reſtituerent, & cum fratre juniore reconciliarent. Hi Regni inter eos diviſione facta, Philometori Ægyptus eſt aſſignata cum Cypro, Ptolemæo juniori Cyrenæ cum Lybia." Quod pactum ſacris ritè peractis, fide data invicémque accepta ſancitum eſt.

Polyb. ibid. & leg. 114. Evergetes Cyrenas abit, ſed Ptolemæo cuidam Ægyptio Regnum ubi commiſit, Romam venit ut inſtitutam cum fratre partitionem redderet infectam, quod mox reſcivit Philometor, & Menethyllum Legatum miſit qui cauſam ſuam contra fratrem defenderet. Junior autem Ptolemæus dixit, non ſponte ſe, verùm difficultatibus temporum neceſſariò cedentem, id feciſſe, quod juſſus erat: petere igitur à Senatu, ut Cyprum ſibi adjudicaret: nam etiam ſic longè deteriorem ſuam portionem futuram, portione fratris.

Id. ibid. Contrà verò Legatus à Philometore miſſus Menethyllus, dicebat quod ipſi Romanorum Legati Canuleius ac Quintus ſuo teſtimonio confirmabant, Ptolemæum nempe juniorem, non ſolùm Cyrenen, ſed & ipſam vitam opera ſua retinere: omnium animis ab eò ideò alienatis, ut pro magno beneficio conceſſum ſibi, præter ſpem ſuam & omnium opinionem Cyrenæ Re-

Regnum acciperet. Omnibus his contradicente Ptolemæo juniore, Senatus, partim quod partitionem non planè peractam animadverteret, partim quod autoribus ipſis fratribus Regnum optaret dividi, utilitatis ſuæ cauſa, poſtulata junioris accepit, T. Torquatum & Cn. Merulam Legatos decrevit qui Ptolemæos inter fratres pacem conciliarent & juniori Regnum Cypri traderent. LAGIDAR. an. 161.

Menithyllus Philometoris Legatus reditum parare præ ſe ferens, Demetrium in Syriam deportare per navim Carthaginienſem Tyrum navigaturam curavit, ſed Romæ per aliquot dies adhuc permanſit, uſquequò Legati Romani proficiſcerentur. Id. ibid.

Ptolemæus junior quum Corneliæ Romanæ matronæ Scipionis Africani filiæ & Tib. Semproniæ viduæ nuptias ambiret & ad conſortium Regni vocaret, ipſa abnuit atque in viduitate permanſit: Roma igitur abiens in Græciam venit, ibíque ſtrenuorum ad primè militum manum conduxit, inter quos etiam Damaſippum Macedonem aſſumpſit, & quum in oppoſitam Rhodiis continentem, Peræam dicunt, veniſſet, à populo exceptus hoſpitio, Cyprum navigare inſtituit. Plut. in vit. Gracc. Polyb. leg. 115.

Torquatus ceteríque Legati, ut vident magnam mercenariorum militum vim ab eo contractam, Patrum mandata in memoriam revocarunt: quibus ſine armis eum reducere jubebantur, tandem perſuaſerunt ei, ut poſtquam Sidam Pamphyliæ uſque, militem mercenarium adduxiſſet, miſſos omnes faceret, & ab adeunda Cypro abſtineret, darétque operam, ut in Cyrenaïcis finibus eum poſſent convenire. Se interim Alexandriam profecturos, & Regis voluntatem ad ea quæ ab ipſo petebantur, inclinaturos. Flexit hæc oratio Ptolemæum juniorem effecítque ut de Cypri occupatione deſperans, conductitium militem dimitteret atque ipſe in Cretam rectà abiret, unà cum Damaſippo & Cn. Merula, uno ex Legatorum numero. Dein quum milites mille in Creta conduxiſſet, inde profectus Libynam venit, & ad Apim portum tenuit.

Torquatus interim & Titus Alexandriam delati, perſuadere conati ſunt Philometori, ut redire in gratiam cum fratre vellet, eíque Cyprum concederet; ſed Ptolemæo quædam pollicente, quædam negligenter audiente, atque hoc modo tempus extrahente, junior fratrum caſtris in Libyna ad Apim poſitis, ut convenerat ægerrimè ferens, nihil ſecum ea de re fuiſſe actum; primò Cn. Merulam Alexandriam miſit, tanquam per hunc & Torquatum, quod cupiebat eſſet effecturus. Sed quum hoc quoque conſilium, eumdem exitum habuiſſet, quem priora: atque ita tempus in longum extraheretur: jámque adeò dies quadraginta præteriiſſent, quum interim nullus nuntius afferretur, de ſumma rerum dubitare cœpit. Advenerat enim ut major fratrum Alexandriæ ſibi conciliaverat miris blanditiis Legatos Romanorum ibíque detinuerat invitos magis quàm volentes. Id. ibid.

Inter Hæc Ptolemæo juniori ſignificatur rebellaſſe Cyrenenſes & civitates cum ipſis conſpiraſſe, conſcium etiam defectionis eſſe Ptolemæum...... genere Ægyptium; quem Rex quum Romam navigationem inſtitueret, univerſo Regno præfecerat. Hæc ubi Evergeti nuntiata, & mox addito, Cyrenenſes ſub ſignis exercitum jam habere, metuens, ne dum imperio Cyprum cupit adjicere, etiam Cyrenen amittat; omnem aliarum rerum curam inſuper habens, relicta Api, ubi portum tenuerat, Cyrenen revertere aggreditur. Ad magnam autem, quam vocant Catabathmon, ut navigavit, locorum anguſtias à Libynis cum Cyrenenſibus reperit occupatas. Philom. 19.

Evergetes hac difficultate ſibi objecta, dimidiam militum partem navibus imponit, & loca anguſta circumnavigare jubet, daréque operam, ut hoſtes nec opinantes ex improviſo invadant: ipſe cum altera parte exercitus à fronte Id. ibid.

LAGIDAR. an. 163. eos aggreſſus, ſuperare montem conabatur. Libynæ metu perculſi, quòd utrimque peti ſe viderent, ſtationes deſerunt. Ita Evergetes non liberè tantùm adſcenſum potitur, ſed etiam ſubjectan quatuor turrium munitionem, ubi magna erat aquæ copia, in poteſtatem redigit, inde ſeptimis caſtris ſolitudinem emenſus, Cyrenen pervenit.

Id. ibid. Quum manus militum qui ſub Mochyrino erant, maritimo itinere illum comitantibus, Cyrenenſes, illo appropinquante, aciem eduxerunt, pedites ad octo millia, equites ad quingentos. Nam Cyrenenſes, ex iis quæ Evergetes Alexandriæ geſſerat, animadverſa ejus voluntate, quum cernerent nihil Regii, in ejus animo atque adminiſtratione, ſed tyrannicè omnia ab eo adminiſtrari, ut ſua ſponte ſe illi ſubjicerent, inducere in animum non poterant: quin potiùs perpeti omnia ſuſtinebant, priuſquam ſpem libertatis deſererent: itaque inito cum eo prælio, victoriam reportarunt.

Id. leg. 116. Circa idem tempus & Cn. Merula venit Alexandriâ, nuntiavítque Evergeti nihil eorum, quæ à fratre ejus fuerant poſtulata potuiſſe impetrari: quòd diceret pactis eſſe ſtandum quæ facta eſſent ab initio. His auditis Rex Comanum & Ptolemæum fratres Romam Legatos proficiſci jubet cum Cnæo Merula, qui de iniquitate fratris & contemptu erga Populum Rom. cum Senatu agerent. Quibus in itinere etiam T. Torquatus occurrit, & ipſe, re infecta, Alexandria dimiſſus.

Mox ubi Philometor accepit Evergetem Legatos Romam miſiſſe, qui de ſe lamentarentur, protinus Menithyllum Romana Legatione jam ob eaſdem inter fratres contentiones functum, rurſus ad Senatum mittit.

Id. leg. 117. Hi omnes poſtquam in Curiam ſunt ingreſſi, longa inter ipſos altercatione habita, quum alter alterum convitiis laceraſſet; quia Torquatus & Merula ſuo teſtimonio & favore omni ac ſtudio cauſam junioris ſublevabant; decrevit Senatus, ut intra dies quinque Menithyllus urbe excederet, & ut fœdus quod cum Philometore Ptolemæo erat, tolleretur.

Lagid. 164. Philom. 20. Senatus poſtea Legatos decrevit ad juniorem mittendos, qui patrum decretum contra Philometorem Ptolemæo juniori afferrent. Legati lecti ſunt Publius Apuſtius & Caius Lentulus qui extemplo Cyrenen profecti, nuntium eorum quæ geſta fuerant, magna diligentia ad Evergetem pertulerunt. Ille confeſtim nova ſpe inflatus, milites conducere, & animum atque mentem ad conſilia de Cypro occupanda transferre.

Lagid. 165. Philom. 21. Quum Evergetes fratrem Philometorem copiis majoribus inſtructum eſſe noſceret, Cyprum mox aggredi nequit, ſed mercenarios paulatim in omnibus Provinciis circumſcripſit, & in hac Inſula quoſdam ſollicitare cœpit ut in eam faciliùs appelleret & eam ſibi ſubmittere poſſet.

Lagid. 166. Philom. 22. Polyb. leg. 32. Dum Ptolemæus junior res omnes pro Cypri expeditione ordinabat, inſidiis attentatus eſt, in quibus vulneratus fuit, earum ut fratrem eſſe auctorem exiſtimabat, Romam paulò pòſt venit, ut verò ingreſſus eſt in Senatum, Philometorem cœpit accuſare, ſimul vulnerum cicatrices oculis ſpectandas exhibebat: multíſque deinceps verbis rei atrocitatem exaggerans, ad miſerationem ſui flectere animos hominum conabatur. Sed & Philometoris Ptolemæi Legati aderant, Neolaidas & Andromachus; qui ad criminationes omnes fratris reſponderent. Verùm iſtorum Senatus ne admittere quidem ad aures, orationem voluit. Adeo mentes omnium accuſationibus fratris erant occupatæ. His igitur extemplò Roma juſſis faceſſere.

Id. ibid. Senatus poſtea Legatos quinque decrevit, inter quos erant Cn. Merula & L. Thermus, & ſingulis quinqueremes attributæ. Datum iis negotium fuit, ut cùm Juniore Ptolemæo profecti, in Inſulam Cyprum eum reſtituerent, ſcriptum etiam ad ſocios Græcos & Aſiaticos, licere illis Ptolemæum in recuperatione Cypri adjuvare.

Quum

Qu
Philom
Lapitho
prum af
tiam ac p
taxat ill
Cyrena
rannis f
Itaque b
que ext
termina
Arch
pulſus,
donatus
forſan in
tavit, u
henſus,
ſe ſuſpe
Philo
proditio
nem pr
phane
quenda
phanis
He
leſcen
ce Ar
in pa
Pt
Ptol
facil
rent
ipſi p
De
eſt, A
quam
rat,
Dem
obtin
In
ren
pr
gi
ct
pu
eſ
nu
ge
be
ſcr
ma
lia
tr

Quum Ptolemæus Evergetes Cyprum occupare conaretur, pugna ibi cum Philometore commiſſa, ſuperatus eſt; & quum hic fratrem juniorem in urbe Lapitho obſeſſum & ad extremum compuliſſet, tantùm abfuit, ut ſupplicio captum afficeret, quaſi hoſtem, ei tamen pepercit, tum ob innatam clementiam ac germanitatis vinculum, tum metu P. Romani. Nec verò veniam duntaxat illi indulſit, ſed fœdus quoque cum eo percuſſit, quo contentum eſſe Cyrenarum Regno illum jubebat, & pro Cypro urbes quaſdam cum certo quotannis frumenti modo conceſſit, ſuámque ei filiam collocaturum promiſit. Itaque bellum inter fratres quum ad maximam animorum alienationem, atque extrema pericula adductum fuiſſet, repentè humaniſſimis conditionibus terminatum eſt. LAGIDAR. an. 167. Philom. 23. Polyb. & Diod. Except. Valeſ. Zonas. ex Dion.

Archias ex Philometoris amicis qui eum quum Romam veniſſet à fratre expulſus, fuerat comitatus, poſtea in officii mercedem ab illo Cypri Præfectura donatus erat; Demetrius Syriæ Rex ipſum à Philometore alienatum, quòd forſan in Cypri expeditione Ptolæmeo juniori propenſior viſus fuiſſet, ſollicitavit, ut Inſulam quingentis talentis, quam prodere quum vellet, deprehenſus, & in judicium adductus, funiculo veli, quod Aulæ prætendebatur, ſe ſuſpendit. Lagid. 168. Philom. 24. Exc. Polyb. pag. 170.

Philometor, ut de Demetrio qui Cyprum ipſi per Archiæ illius Præfecti proditionem eripere tentaverat, vindicare poſſet, Antiochenorum rebellionem primò pecunia fovit, & Heraclidem olim ærario ſub Antiocho Epiphane Præfectum, ſed ex Aula ab eo ejectum ſollicitavit, ut Alexandrum quendam cognomine Balam, ad Syriæ Regnum tanquam Antiochi Epiphanis filium, repetendum, ſollicitavit. Lagid. 169. Philom. 25. Juſtin. l. 35.

Heraclides Ptolemæi & Antiochenſium ſuaſu & impenſis Romam, adoleſcentem Rhodi educatum, quem Alexandrum nominarunt, cum Laodice Antiochi Epiphanis filia adduxit, & tandem à Senatu ut reverterentur in patrium Regnum obtinuit. Lagid. 170. Philom. 26. Polyb. leg. 138.

Ptolemæus qui in Phœnicia urbe Aca quam Philadelphus de ſuo nomine Ptolemaïdem vocaverat; commercium occultum ob id ſemper habuerat, facilè militum mores Demetrii abominantium animos pellexit, ut reciperent Alexandrum Roma redeuntem, ita ut qui urbem præſidio tenebant, ipſi portas aperuerint anno Seleucidarum centeſimo ſexageſimo. Lagid. 171. Philom. 27.

Demetrius collectis, quas potuit copiis contra Alexandrum profectus eſt, Alexander autem, tam è milite qui in Syria à Demetrio defecerat, quam ex præſidio Ptolemaïdis & ex iis quos Ptolemæus ei clam procuraverat, obviam venit, & commiſſum eſt prælium, Alexandrúmque fugavit Demetrius; ſed quum à plurimis eſſet odioſus, victoriam de illo integram obtinere non potuit. Lagid. 172. Philom. 28. Juſtin. lib. 35.

Interea Demetrius & Alexander proximos Reges ut ſibi auxilium mitterent, ſollicitarunt, Alexander copioſo exercitu contracto, adjuvante imprimis Ptolemæo Philometore, Attalo Aſiæ, & Ariarathe Cappadociæ Regibus, nec non Jonathane Judæorum Pontifice, contra Demetrium profectus eſt, & caſtris juxta eum admotis, & collatis tandem ſignis, lævo cornu pulſo, Demetrius in dextro pugnans, coactus eſt loco cedere, & reliquis effusè fugientibus, Rex fortiter decertans occiſus eſt. Joſeph. l. 13. c. 5.

Alexander aſſumpto Syriæ Regno Legatos ad Philometorem filiam ejus nuptam ſibi dari depoſcens miſit, æquum eſſe dicens, ut ſe affinitate dignetur, poſt recuperatum favente Deo paternum imperium, & Demetrium bello devictum. Ptolemæus verò libenter Alexandri poſtulatis admiſſis, ſcripſit & gratulari ſe ei de recepto Regno paterno & filiam collocaturum in matrimonium, juſsítque ut ſibi Ptolemaïdem occurreret, adducturo illò filiam, & ibi celebraturo ejus nuptias, ſubſecutus deinde literas, tempus matrimonii conſtituit. Lagid. 173. Philom. 29. Id. cap. 7. 1 Maccab. 10.

 Exivit

LAGIDAR. an. 173. Iid. ibid.

Exivit de Ægypto Ptolemæus cum Cleopatra filia, & venit Ptolemaïdem anno centeſimo ſexageſimo ſecundo (exeunte,) & reperto ibi Alexandro, illam ei conjunxit, addita in dotem auri & argenti ſumma, quanta tàm potentem Regem decuit. Ad has nuptias Jonathas Judæorum Pontifex per litteras ab Alexandro vocatus eſt, qui quum veniſſet ad Reges, ampliſque muneribus utrumque donaſſet. Ab utroque in honore magno eſt habitus.

Lagid. 174. Philom. 30. Joſeph. l. 13. cap. 6.

Onias Pontificis Oziæ filius, qui profugus Alexandriæ degebat apud Ptolemæum Philometorem, ſibi æternam memoriam parare volens, decreverat à Rege & Regina Cleopatra per literas, petere ut ſibi liceret in Ægypto inſtar illius Hieroſolymitano, templum conſtruere & in eo Levitas & Sacerdotes ex ſuo genere conſtituere; in literis autem ſignificaverat, dum bello illis in vanis Regionibus operam navaret, animadvertiſſe apud Cœleſyriam & Phœnicen & Leontopolim in Ægypti Præfectura Heliopolitana, aliiſque in locis Judæos præter decorum habere templa; & ideò malè inter eos convenire, rogare igitur ut templum quod apud caſtrum aggreſtis Bubaſtis invenit, nulli ſacratum Numini, jamque collapſum repurgare & aliud loco ejus Deo maximo ædificare pro ſalute ſua & Reginæ atque liberorum ſuorum, ut Judæi qui Ægyptum incolunt, illuc convenientes quo magis alerent mutuam concordiam & eo uſibus ſuis fierent accommodatiores. Nam & Iſaiam prædixiſſe quod erit Domino Deo altare in Ægypto & alia multa ceciniſſe.

Id. ibid.

Impetrato à Regibus Ptolemæo & Cleopatra loco, Onias templum illud aggreſtis Bubaſtis deſtruxit & novum ad Hieroſolymitani ſimilitudinem ædificavit, ſed minùs & non peræquè opulentum. Nec defuerunt Oniæ ſimiles illius Levitæ Sacerdotes, qui illic divinum cultum frequentarent & inſtaurarent Ceremonias.

Id. ibid.

Apud Alexandriam inter Judæos & Samaritas, ſeditio eſt exorta de ſacris ipſorum, quæ ad Regis cognitionem pervenit; Judæi contendebant juxta Moſis præſcripta Hieroſolymitanum templum eſſe legitimum, Samaritæ verò Garizitanum. Provocatum eſt ad Regem & amicorum ejus conſeſſum, ut ab his cauſa audiretur, & utrius partis Cauſidici ſuccumberent, morte mulctarentur. Patrocinabatur Samaritis Sabbæus cum Theodoſio, Judæis Andronicus Meſſalami F. juraveruntque per Deum & Regem, quòd ex lege probationes eſſent allaturi & Regem rogaverunt ut necaret eum qui jusjurandum non ſervaſſe deprehenderetur. Rex multis amicis in conſilium adhibitis cauſam audivit, & Andronici rationibus perſuaſus, Hieroſolymitanum eſſe ex ſententia Moſis fuiſſe pronuntiavit, Sabbæum verò & Theodoſium addixit ſupplicio.

Clem. Alex. lib. 1. Strom.

Ariſtobulus Judæus ex Peripateticorum diſciplina ſub Ptolemæo Philometore tùm claruit, & ad eundem Regem explanationum ſuprà libris Moſis commentarios dedicavit.

Seleuc. Hiſt. pag. 281.

Natus eſt Alexandro qui Theopatoris cognomen acceperat, filius ex Cleopatra Philometoris filia, cujus numiſmata ſub appellatione ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΘΕΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ ΝΙΚΗΦΟΡΟΥ, ſunt exhibita, quum ea ſpectent ad Antiochum quintum & noviſſimum Antiochi Epiphanis & Tryphænæ filium, à Joſepho Dionyſium appellatum, cujus autoritate deluſi fuimus & cujus ſex nummi poſt illius vitam à nobis deſcripti, ad Antiochum Alexandri filium pertinent, qui cognominatur ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΑΝΤΙΟΧΟΣ ΕΠΙΦΑΝΗΣ ΔΙΟΝΥΣΟΣ, ut ex nummo argenteo recenter à nobis reperto, cum literis numeralibus ΗΞΡ id eſt anno 168. obſervatum eſt. Quod confirmat galea in ultimo Dionyſi, ut in Tryphonis illius tutoris nummo exarata.

ibid. pag. 382. & ſeq.

Lagid. 175. Philom. 31.

Ptolemæus per Cleopatram filiam aut per amicos, Alexandrum generum ſuum

ſuum in ganeo & luſtris ſocorditer jacere, & Ammonio ejus amico Regni adminiſtrationem commiſiſſe, per quem & amici omnes Regis & Laodice Regina Antiochi Epiphanis filia, & Antigonus Demetrii filius, ſunt occiſi. LAGIDAR. an. 176. Liv. Dec. 6. epit. l. 3. Joſeph. l. 13. cap. 8.

Alexander ut audivit Demetrium Demetrii Soteris filium annos pubertatis egreſſum, in Ciliciam è Creta cum mercenario milite trajectum, anno Seleucidarum 165. deinde Apollonii Davi opera Cœleſyriam ingreſſum ad Philometorem Socerum miſit ut vellet ipſi copias auxiliares ſuppeditare, mox ad circumſcribendos milites ſe accinxit, & rei navali operam dedit, ut præſto eſſet claſſis parata. Philom. 32. Joſeph. 100. Juſtin. l. 35.

Philometor ex Ægypto cum navalibus & terreſtribus copiis venit Alexandro genero laturus auxilium, alacriter excipientibus ejus juſſu civitatibus uſque ad Azotum, ubi obtundebatur quærimoniis Dagonis templi incendium, accuſabántque populariter Jonathanem autorem ejus injuriæ qui & agros eorum vaſtaſſet ferro & flammis & plurimos civium dediſſet exitio. Ptolemæo penè diſſimulanter eorum querimonias audiente, Jonathas verò apud Joppen ei occurrit, exceptus & muneribus & omni honoris genere: deinde quum uſque Eleutherum fluvium deduxiſſet Regem, Hieroſolyma reverſus eſt. Lagid. 177. Philom. 33. 1 Maccab. 11. Joſeph. 16.

Quum autem Ptolemæus civitates ingrederetur, in omnibus militum cuſtodias ponebat, ob id videtur appetitus Ammonii inſidiis, poſtquam enim Ptolemaïdem pervenit, minimum abfuit quin oppreſſus ſit Philometor Ammonii artibus: quibus detectis, ſcripſit Alexandro, depoſcens Ammonium ad ſupplicium, quod meritum aiebat, propter ſtructas ſibi inſidias, qui quum non dederetur, ipſum Alexandrum earum fuiſſe auctorem intellexit, & magno illum odio proſequi cœpit. Poſtea Ptolemæus civitatum Dominum uſque Seleuciam maritimam obtinuit. Iid. ibid.

Philometor affinitatis Alexandri pœnitens, & quòd ipſi vitam eripere tentaſſet, & quum eſſet luxuria & ſocordia homo perditus, abſtracta à marito filia Cleopatra quæ ipſi occurrerat, mox ad Demetrium mittit Legatos de ſocietate & amicitia, ut data ipſi in matrimonium filia, paternum Regnum ei reſtitueret. At ille & amicitiam ejus & oblatam conjugem perlibenter amplexus eſt, quòd ubi reſcivit Alexander filium apud Rabilum Arabem quem (alii Zabilum vocant) male, Z. pro R. accipientes uno puncto apud gentem illam inter ſe differentem, depoſuit, & protinùs in Ciliciam abiit. Iid. ibid.

Antiochiam venit Philometor, & Antiocheni propter Ammonium à quo plurimis affecti fuerant incommodis, Alexandrum ob quorumdam rebellionem in Ciliciam profectum deſeruere; Amnio autem quærens latebras, cæſus eſt; Ptolemæus autem urbem ingreſſus à civibus Rex conſalutatus eſt, & ab exercitu coactus eſt duo ſibi imponere diademata, alterum Aſiæ, Ægypti verò alterum: ſed quum eſſet natura juſtus & nimiæ potentiæ minimè cupidus, adhæc prudens & qui nollet Romanis invidioſus eſſe, contentum ſe Ægypti imperio affirmavit. Joſeph. Ibid.

Unus Ptolemæus reliquus erat labor, ut Antiochenis perſuaderet Demetrium pro Rege recipere, alienatis ab eo animis propter injurias à patre acceptas, advocata tandem civium & militum concione perſuaſit eis ut Demetrium pro Rege reciperent, pollicitus eum majorem rationem habiturum recentis eorum beneficiorum quàm odiorum quæ illis cum patre ejus interceſſerant, ſe quoque affirmavit monſtratorem ei fore vitæ rectè inſtituendæ & adminiſtrandæ Reipublicæ, nec paſſurum quicquam tentare, quod non deceat. Antiocheni veterem patris offenſam novis meritis correcturi, ſe ei tradunt, & milites paterni, favore juvenis accenſi prioris ſacramenti religionem novi Regis ſuperbiæ præferentes, ſigna ad Demetrium transferunt, & ſic regnavit Demetrius anno 167. Seleucidarum. Lagid. 178. Philom. 34. Id. ibid. Juſtin. l. 35. c. 2. 1 Maccab. 11.

LAGIDAR. an. 178. Alexander valido è Cilicia exercitu ducto, quum Syriam & Antiochenum agrum vaſtaret rapinis atque incendiis, occurrit ei Philometor cum novo genero Demetrio, collatíſque ſignis ad Oenoparam fluvium victus eſt Alexander. Fortè accidit in eo prælio ut equus Ptolemæi conſternatus barritu Elephanti eum excuteret, proſtratúmque aggreſſi hoſtes vulneribus in caput inflictis in periculum extremum adducerent, ni ereptus eſſet interventu ſatellitum, attamen per integrum quatriduum ſopitis ſenſibus, nec loqui potuit, nec loquentes intelligere.

Strab. l. 15. pag. 751.

1. Macc. 11. E pugna elapſus Alexander cum quingentis ſuorum in Arabiam ad Rhabilum, apud quem filium depoſuerat, ſe recepit, ſed à ſuis traditus, eſt occiſus, & Arabiæ Dynaſta reciſum ejus caput ad Philometorem miſit, qui ad ſe reverſus, jucundiſſimo ſibi rumore, ſimul & ſpectaculo capitis & mortis pavit animum & oculos: nec ita multò poſt exhilaratus gaudio percepto ex inimici interitu, tertio inter curationem die, dum oſſa Medici terebrare contendunt expiravit.

Ptolemæus obiit anno Regni 34. completo ut videtur ſi quidem autores illi 35. tribuunt quod de incœpto intelligendum eſt. Deceſſit autem Olymp. 158. an. 3. quo anno Polybius hiſtoriam ſuam terminaverat. Reliquit filium Ptolemæum teneræ ætatis & duas filias nomine Cleopatras, unam nempe avunculo Evergeti nuptam, & alteram Alexandro primùm, & deinde Demetrio Nicatori.

Valeſ. ann. in exc. Polyb. pag. 33.

Polyb. exc. Ibid. exc. Vir ut quidam ſentiunt maxima laude dignus, quamvis alii ſecus exiſtiment. In adoleſcentia illi in bello exprobratur ignavia, animi penitus effœminati natura & mollities, ſed poſtea ex iis quæ geſſit, ſatis apparuit ejus conſtantia atque induſtria in agendo nemini inferior, illius ignaviæ cauſa ſpadonis Eulæi nutritioni tributa eſt, nam eum in deliciis & muliebribus inſtitutis à puero educaverat.

Joſeph. ant. lib. 13. c. 8. Juſtus habebatur & nimiæ potentiæ minimè cupidus, prudens, ſed imprimis clemens & benignus, ſi quis unquam ſuperiori memoria Rex certè fuit, cujus rei argumenta ſuperſunt certiſſima. Qui primùm neminem ex amicorum numero ullam ob cauſam occidit, nullus civis Alexandrinus ab eo eſt interfectus.

Polyb. exc. pag. 196.

Ibid. Quum autem à fratre Alexandria compulſus eſſe videretur, primò Alexandriæ ulciſcendi illius oportunitatem nactus, culpam ei condonavit. Poſtea verò quum idem Cyprum occupare molitus eſſet, captum non ut hoſtem ſed tanquam fratrem beneficiis affectum dimiſit. Sed inter eos morum comparatio non admitti potuit, quum Philometor eximia manſuetudine & frater ejus ſumma ſævitia eſſet præditus.

Excerpt. ex Diodor. pag. 353.

Verùm enim verò Philometor Rebus ſecundis lætíſque ſucceſſibus vigorem animi remittebat, & quædam quaſi luxuria ac mollities Ægyptiaca in eo inerat: quam ob cauſam ſæpè numero in magnum diſcrimen eſt adductus.

EX



EX MUSÆO NOSTRO.

Caput Regis diademate inſignitum : ex altera parte Aquila inſiſtens fulmini cum palmæ ramo intra alam dextram inſerto & epigraphe duplici circulo ornata ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΘΕΟΥ ΦΙΛΟΜΕΤΟΡΟΣ. In area à ſiniſtris, ΟΠΠ. ΟΠΠοναίων; inter pedes Aquilæ ΙΔ. & litera ו inverſa, id eſt Λυκάβαντος, anno 16.

Si Ptolemæi omnes cognomina ſua in nummis ſignaſſent ut hic ordine ſextus, Philometoris appellationem exhibuit, magnam ſanè lucem in diſcernendis Ægypti Regum vultibus nobis afferrent, ſed ille eſt ſolus poſt Ptolemæum Lagi filium quem nummi appellant Soterem, qui Philometoris cognomen in ipſis appoſuit, porrò non mediocrem in aliis dignoſcendis notionem attulit; ſi quidem in anteceſſoribus ejus exhibendis, ſatis feciſſe putamus, & ſic medio itinere confecto, illius ſucceſſorum imagines vobis exponere ſperamus.

Nummum hunc tanti facimus ut viginti aureis coronatis eum emere non dubitaverimus, idémque pretium promittimus Antiquariis qui nobis alium Ptolemæum Regem tetradrachmalem argenteum, cum quodam cognomine, his exceptis, ſuppeditabunt, ut illorum Principum ſeriem magis ac magis illuſtrare deinceps poſſimus.

Non mireris veſanam ΘΕΟΥ in Philometore Rege appellationem, Antiochus enim Epiphanes Syriæ Rex, ejus avunculus, illam primus uſurpare in nummis ſuis auſus fuerat. Antiochus verò tertius, Deus à Mileſiis quidem appellatus fuerat, ſed cognomine tantùm contentus, illud in nummis adhibuiſſe non obſervavimus. Regibus autem Ægyptiis ante Philometorem Dei nomenclatio poſt mortem tanquam conſecratis in nummis & inſcriptionibus attributa eſt, Ptolemæus Lagi filius & Berenice ejus uxor, ΘΕΟΙ ΣΩΤΗΡΕΣ appellati ſunt, & Ptolemæus Philadelphus & Arſinoe ejus ſoror & uxor vocati ſunt ΘΕΟΙ ΑΔΕΛΦΟΙ. Plin. lib. 36. in turri Pharo. Marm. Adul.

Sed inſolens illa Dei nomenclatio non modò ab Antiocho Epiphane, ad Ptolemæum Philometorem tranſiit ſed Demetrius Soter Seleuci filius per matrem illius cognatus, eam in Syria eodem tempore regnans, ſibi etiam vindicavit. Pauci tamen Ægypti Reges quamvis ambitioſi, eam uſurparunt, ita ut à populis illam iis datam potiùs crediderimus, unde vox iſta manifeſti & apparentis Numinis ſymbolum videatur, quum à Rege beneficia quædam accipiebant.

Litera Ι. λυκάβαντος ſonans, in plurimus Imperatorum Romanorum nummis, inverſam ו ut in hoc apparet, obſervavimus an ſit monetariorum incuria, aut ignorantia, ſatis incertum : literæ verò numerales ΙΔ. annum deſignant decimum ſextum Philometoris imperii, quo tempore regnabat cum fratre Evergete, ut in ejus vita notavi : unde nobis dubitandi locus? an populi

puli Philometorem à fratre juniore diſtinguere cupientes, illum peculiari, ſed ſuperba Dei nomenclatione inſignierint, quum ipſe præſertim manſuetus & benignus eſſet, & frater moribus aſper.

Nobis literæ ΟΠΠ. initiales exponendæ ſuperſunt, & ut verùm fateamur nobis prima fronte Monetarii monogramma videbatur deſignare, præſertim quum nulla Ægypti urbs memorabilis ab iis inchoaret, & ſi aliquis in hac opinione permaneat, & primas ΟΠΠ. id eſt ΟΠΠιανῦ literas eſſe ſuſtineat, nec nos refragantes habebit.

Sed quum ex nummis Imperatorum Romanorum urbes Ægypti per initiales literas nomen ſuum exprimere didicimus, hunc morem ex Regibus Ptolemæis illum forſan deſumpſiſſe ſuſpicati fuimus: ideo illas hactenus iis tribuere ſolemus: itaque primas, ΟΠΠ. interpretari lubet Οππωναίων, ab *Opponæis.* Οπόνη vel Οππόνη, ſed huic favet nummus, conſtituitur à Ptolemæo Geographo in Æthiopia, quæ Ægypto parebat, in Azania ſcilicet Regione, Oppone erat Emporium celebre. Reclamant verò Antiquarii ex urbe tam remota quare nummum revocas.

Diſcant Ptolemæos Reges poſt Æthiopiam ſibi vindicatam & loca mari rubro adjacentia, ex his Regionibus plurima ad vitam neceſſaria & commoda in Ægyptum fuiſſe aſportata: unde permulta à Geographo notantur Emporia, in quibus dubium non eſt quin monetarum officinæ à Regibus ſint ſtabilitæ ad negotia mercatorum, in iis præſertim locis ubi plurimæ erant argenti, imo & auri fodinæ, ex quibus moneta etiam pro theſauro Regio ſignabatur, ut hodie pro Hiſpanis in plurimis Americæ partibus obſervatur, quæ in eorum Regnis & exteris regionibus diſtribuitur.

Pto-